



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XVI. De Jure.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

2. Patronus Clericus se ipsum præsentare non potest.
3. Potest tamen filium suum præsentare, si dignus ille sit.
4. Casu, quo plures sunt Patroni, quorum unus sit Clericus, potest hic præsentari.

Notandum primum. Ecclesiæ beneficia, jura, & bona Ecclesiastica jure hereditariæ successione trahere non possunt *c. 1. de præben. c. 2. concess. præben. c. Apostolica 7. causa 8. q. 1.* Quare filius, aut successor Patroni, tamen si Clericus sit, non potest fructus Ecclesiæ, aut beneficii Patronati colligere, uti *And. hic* admonet.

Notandum secundum. Patronus Clericus alium Clericum præsentare debet, cum non possit ipsum beneficium retinere, neque se ipsum præsentare *c. per vestras 26. hoc tit.* quemadmodum nec is, ad quem collatio, aut institutio spectat, se ipsum instituere potest *c. ult. de instit. & consentit lex 4. ff. de tutoribus datis.* Veruntamen, si Patronus Clericus pro ea vice renunciaret juri suo absolute, liberè, & sine omni pactione, dubitandum non videtur, quin liceat Episcopo eundem idoneum, maximè si præ alijs dignus videatur, instituere, dummodo scandalum cesserit.

Quæritur primum. An Patronus filium suum, si dignus sit, præsentare possit? Aliqui negant in Gloss, marg, hic; tum quia Pater & Filius una persona censentur *L. ult. cod. de impub. & alijs substit. Gratianus in 6. contradicimus 21. causa 3. q. 3.* tum quia filius patri acquirit, *Instituti. per quas personas &c. L. cum oportet 6. & L. ult. cod. de bonis qua. liberis,* ergo pater videtur se ipsum tunc præsentare, quod concessum non est. Sed contrarium rectè tradit Gloss, *hic v. perpetua, Innoc. And. Abbas & alij hic, Azor t. 2. l. 6. c. 21. q. 2.* quia nullibi id prohibitum reperitur, ergo concessum ceteri debet. *argum. c. cum apud de spons. & sumitur ex L. illud 5. ff. quod cuiusque universitatis.* ubi dicitur, quod pater in hoc suffragium sive electionis vocem dare possit, &

filius patri. Item ex *c. quia 6. hoc tit.* Neque obstant argumenta contraria, cum pater & filius non sint una persona in veritate, sed juris fictione, quæ non attenditur, nisi in ijs, in quibus introducta est. Neque filius patri acquirit in spiritualibus, sed tantum in bonis profectitijs, sive ex patris substantia quæsitis, & in bonis adventitijs, quoad usumfructum *cit. L. cum oportet.*

Quæritur secundò. Si plures sint Patroni, quorum unus Clericus, num unum ex ipsis præsentare possint, si alioquin idoneus sit? Affirmandum est, cum Gloss, *fin. hic ibidem And. Abbas & alij Azor q. 3.* Sumitur ex *c. cum in jure 31. de electione.* ubi Commissarij unum ex se ipsis eligunt, & ita quidem, ut ipse consentiens coëligat, & numerum eligentium augeat: quia licet electio (& ita etiam dicendum de præsentatione) non habere possit liberè originem ab ipso eligente, attamen electionem aut præsentationem ab alio, vel alijs de se inchoatâ ipse coëligens sive compatronus consummare non prohibetur, uti latius explicavi in *disp. de præben. q. 88.* quare regulam hanc tradit *Abbas ex L. nbi absunt 19. ff. de tutoribus datis,* quod deputati ad eligendum officialem unum ex numero suo eligere possint.

CAPITULUM XVI.

De Jure.

PARAPHRASIS.

Mandat Alexan. III. si R. Jus Patronatūs emptione comparavit, ut contractus irritus pronuntietur, cum enim Jus Patronatūs sit spirituali annexum, vendi non potest.

SUMMARIUM.

1. Jus Patronatūs per se emi pro temporali re non potest.
2. Ratio, quare per se emi non possit, possit tamen comparari accessorie.

Ooo 3

Notar.